

Interdum tibi sollicito frontemque ferenet,
Compleat & dulci pectora lætitia.

ELEGIA XV.

AD ABUNDIUM REZZONICUM

CLEMENTIS XIII.

FRATRIS FILIUM SENATOREM URBS ROMÆ
DECLARATUM.

Non ego mirari dices, nec mittere suevi
Blandiloquam ad procerum limina Calliopen;
Nec si quid magnum vulgo, pulchrumque videtur,
Suspense adtonitus lumine suspicio;
Nec si quem plausuque favens, fremituque secundo
Certatim omnigenis turba virum celebrat
Laudibus, & superis miscet Dis, hunc ego laude
Idcirco dignum scilicet esse puto:
Dignum cui vatum fudet chorus, & caput almæ
Certent flore novo cingere Pegasides.
Sæpe etenim est magno se se ut vir jactet honore
Dives, & antiquis clarus imaginibus,
Et multa stolidum percellat luce popellum,
(Externa quando hic ducitur a specie)
Quem si intro inspicias, penitusque excusseris ipsum,
Sit foeno, atque alga vilior æquorea.
Una meas virtus sibi vindicat, una Camœnas:
Sive illa in tuta deliteat latebra
Sub lare privato vix ulli cognita, ceu cum
Gemma sub alpina condita rupe latet;
Seu luce in media det se se clara videndam,
Gemma velut, longus quam labor e tenebris